



**C**arolus natione Germanus Brugis oppido Flandriæ natus & educatus est. Is in pueritia adhuc oculis captus, atq; ideò elementorum penitus ignarus, omnibus mortalibus miraculo fuit. Nam ueluti alter Homerus, philosophus, orator, poeta, & Musicus, atq; etiam diuinarum literarum sagacissimus interpres factus est. erat is carmine et prosa excellens, ingenio subtilis, eloquio disertus, uita et cōuersatione integerrimus. Itaq; à rege Gallorum Carolo octauo publico & perpetuo stipendio donatus, in gymnasio Parisiensi multo tempore humaniores literas professus est, atq; artes liberales magno cum auditorum applausu docuit. Ha-

bebat & fratrem Ioannem Phernandum poetam & Musicum insignem, quē rex Gallia in Musicum præcipuum elegit. Verùm Carolus tandem relicto huius mundi fastu ordinem Benedictinorum Casalis ingressus, atq; Apostolica dispensatione Leuita ordinatus, uerbum Dei publicè omnium admiratione prædicare cœpit, atq; plurimos libros discipulis dictando ædidiit. utpote de Pura conceptione uirginis Mariæ, de Contēptu mundi, de Ordine Carmelitarum, cum multis alijs. floruit sub Alexandro 6 pontifice, & Maximiliano Cæsare, anno 1493. Trit.